


QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA



IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis tertiâ Aprilis 1710.

M. NICOLAO. B. DE LA CARLIERE,


DOCTORE, MEDICO REGIS ORDINARIO,

PRÆSIDE.

An Cibi suaviores aliis anteponendi?

I.

QUANTUM ad sanitatem conferat optima ciborum digestio, ex his, qui stomachi laborant imbecillitate, aut impudenti licentiâ utuntur in victu, animadvertitur facillimè; hos namquè videas, opere chyloseos omnibus non absoluto numeris, vèl penè consumptos morbis, vèl assiduâ conflictatos malorum catervâ; chyli officina, ventriculus, in quo alimenta convenientèr præparanda reconduntur; fermentescant ne, an ibi terantur, quæstio est Medicorum, qui Erasistrati & Plistonici sequuntur sententias; diaphragmatis, musculorum abdominis, atque membranarum ventriculi repetitis perennitèr ictibus nihil aptiùs ad trituram; molles alimentorum particulæ humore spiritibus turgido madescentes; locus continens undiquè clausus; blandus circumjacentium partium calor, ad fermentationem, paratissima; tritura ergò & fermentatio sibi mutuas, in chylosi, operas præstant; tritu ciborum partes commoluntur, commiscentur accuratiùs, atque in segmenta



230

abeunt minutissima, non prioribus tamèn orbata figuris; liquescunt fermentatione, aliamque induunt formam pristinæ prorsùs dissimilem; huic operi præstantissimo multùm inserviunt dentes alimenta pinsentes, saliva, & stomachalis succus; serie reciprocâ in unum conspirant, ita ut alterum non possit vacillari, quin nutent reliqua; hoc naturæ artificio, qui, modò cibus erat, in chylum transmutatur; qui, si subactus sit, benéque defæcatus, & corpori vigorem præstat & sanitatem tuetur.

II.

UT variam Natura dedit hominibus temperiem; sìc illis diversa suppeditavit ciborum genera; horum virtutes non ratione solâ, non ingeniosis Chymicorum operibus detegere satagas, sed eas maturâ perpendas experientiâ: ea inter edulia sunt, quæ iisdem ferè saporibus & odoribus insignita longè dissimiles edunt effectus, dùm ingesta sunt in corpus humanum; alia sunt iisdem referta Chymicorum principiis, quæ, si devorentur, vèl alimenti, vèl veneni materiem corpori præbent; in principiorum proportione brassica capitata solano furioso similior reperitur, quàm ovum ovo; verùm ex illâ nutrimentum; ex hoc venenum; adeò cæcutit vana hominum spes, jejunis tantùm ingenii ratiociniis suffulta, ut nequeat ferè ulla ægris invenire remedia, ne dùm sanis convenientem alimoniam: Salubrium ciborum sanus signa quæris? non mollitudinis, duritiei, aut substantiæ tenuitatis memineris; duriora siquidèm edulia in succum à nonnullis vertuntur nutritioni aptissimum, in quibus sæpè tenuissima mollioraque vèl acescunt, vèl corrumpuntur; nec sis nimiùm sollicitus, an in iis acida, an alkalina salia præpolleant; investigatio certè curiosa, sed parùm utilis; ciborum, ut & remediorum virtus, non tantùm ex his, quibus constant particulis seorsìm sumptis, sed ex illarum accuratâ mixtione dependet: Illud alimenti genus maximè opportunum, aliisque præferendum existimabis, quod facile sit concoctu, nullum excitans tumultum, oris & recipientis ventriculi sensui blanditurum; ab eo ritè subacto, &, ut decet, elaborato corpus fit maximè robustum, & ad motus expeditissimum.

III.

CIBI in ventriculo promptè, probéque dissoluti dotes, tenuitas sunt & ad fluendum aptitudo; has observabis dotes in dissolutionibus chymicis; ubi materies convenientèr resoluta in tenuissimas abit moleculas, solventis, quibus innatat, liquoris par-

ticularum motus insequutura; hinc chylus è cibo promptè dissoluto tenuis & fluidus evadit, & ad munera naturæ obeunda paratissimus; neque credas aliquid, ad perfectionem, chylo deesse, cum tenuitate, ac fluiditate gaudet; ipsius est blanda cum sanguine mixtio; fermentatio mitis; secretiones, in quibus stat sanitas, vita perennatur, votis felicitèr respondentes: omnia idcircò, quæ chylus patitur, vitia ex ejus substantiæ crassitudine non immeritò repetenda sunt; hanc necessè contrahit, si natales debeat cibis ægrè utcunquè fermentescentibus, qui & tritum fugiunt, & sufficienti solventis fermenti quantitate minimè saturantur; undè morborum multò pars maxima, quæ vulgò sanguini adscribitur, plerumquè chylo competit lutulentiori, & in ventriculo perperàm fermentato, qui flexuosos canaliculorum plexus subiturus lentus hæret, acescit, partes aut rodendo constringit, aut distendit infarciendo, & permixtus sanguini, in cujus expedito fluxu omnium versatur functionum integritas, tam necessarias liquorum retardat circuitiones, adeò ut fermentationes immodicæ, secretionum impedimenta, totius humanæ machinæ perturbatio; hanc chyli perniciem vitat, qui gratioribus vescitur alimentis, quorum suavitas, dum palato placet, sanitatem servat, vitæ condimentum.

IV.

CIBUS, qui cum voluptate sumitur, faciliori, feliciorique dissolvitur negotio, is verò subigitur ægrè, quem nulla sui dulcedo commendat; voluptas quidèm non nomine ipso infamis est, sed fit, modo utendi, vel laudabilis, vel arguenda; enìm verò à ratione prorsùs esset alienum & indignum nomine Medici, virginibus picâ, malaciâve laborantibus, quæ absurdarum rerum avidissimæ estrices sunt, eas, ut salubres, permittere: harum mens ægrescit unâ cum corpore; luxuriantis imaginationis ardore, phantasiâ, vel præjudiciis delusæ, in gypsum, carbones, terram effrenatè feruntur, personatâ dulcedine: suavitate ciborum digestio, dissolutioquè gratissimè promovetur, non eorum tamèn, qui per se sunt perniciosi, sed quorum substantia, non alioquin prava, conjuncta cùm suavitate, eos reddit anteponendos cibis blandioris nonnunquàm succi, naturæ præstantioris; nèc tamèn opineris alimentis uti suavioribus immoderatè licere, sinè detrimento sanitatis; periclitatur hæc oppressa quantitate; nèc cibi suavitas vincere potest, quod intemperantia depravavit, titillante gulâ, & ad

ſumendum plùs, quàm decet, provocante, sic ſi appetitus oblectantis cibi irritamento luxuriet, rationis gubernaculo temperetur; nèc ſtudendum ſatietati, ſed refectioni, quam moderata poſcat fames, omnibus coquorum condimentis jucundior.

V.

IN eligendis cibis ſuus eſt cuique mos, ſua voluptas; non enim uno eodemque cibi genere delectantur homines; illius diſcriminis cauſa ſaliva eſt indolis diverſæ, varia palati & linguæ papillarum conditio, contextus diſſimilis: hìnc ciborum particulæ dentibus contritæ, ſalivâque dilutæ, diverſo ſenſu, papillas afficiunt, aut quodam oblectamento ſalium titillatas, aut criſpatas faſtidio; sìc quod ſapidum eſt & magìs gratum guſtui faciliùs diſſolvitur in ventriculo, tùm quod fermentum, appetitûs author, maximam habet proportionem cum alimentis ſuavitèr ſumptis; tum quia, totâ oris cavitate, gratiſſimorum eduliorum mulcedine, veluti, palpatâ, glandulæ ibi conſitæ ſalivalis ſucci abundantiam profundunt, cujus copioſiſſimè ſcaturientis proventu alimenta convenientèr irrigata, imbuta, priorem patiuntur præparationem, felici poſteà fermentatione penitùs digerenda: præſtantiſſimum hunc perfectionis gradum aſſequuntur in ventriculo & inteſtinis, quorum fibræ non injucundo ciborum attactu commotæ, ſpiritibuſque turgeſcentes laticem, quem nuncupant, digeſtivum emulgent è glandulis futuro chylo permiſcendum: hìnc robuſtiori ventriculo facto, fibris rigidioribus, cibis abundantiori, eoque congruo fermento ſaturatis, trituræ & fermentationis opus expeditè & felicitèr abſolvitur.

Ergò cibi ſuaviores aliis anteponendi.

Proponebat Pariſiis ANTONIUS GEOFFROY, Balneolenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1710.

Typis Viduæ Franciſci Muguet Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.